...us

...e Princeps.

Starovolscii Simonis: Lachrymae in obitum Sereniss. Alexandri Casimiri etc.

SIMONIS STAROVOLSCI

# LACHRYMÆ

In obitum


SERENISSIMI

ALEXANDRI

CAZIMIRI,

Poloniæ, & Sueciæ

PRINCIPIS.



CRACOVIÆ,

*In Officina Matthiæ Andreouiensis, Anno Domini, 1634.*

# M. Tullius lib: 1. Tuſculanarum quæſt.

Profecto mors tum æquiſsimo animo oppetitur, cum ſuis ſe laudibus vita occidens conſolari poteſt. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ, perfecto functus eſt munere. Quare ſi ipſa ratio minus perficiet, vt mortem negligere poſsimus; at vita acta perficiat, vt ſatis, ſuperq; vixiſſe videamur. Quanquàm enim ſenſus abierit, tamen ſummis & proprijs bonis, & laudis & gloriæ, quãuis non ſentiant, mortui non carent.

# Illustrisimo Domino,
# D. CASPARI DONHOFFIO,
## PALATINO SIRADIENSI,
## Laiscen: Boleslauien: Radomscensiq; Præfecto.

SIMON STAROVOLSCIVS
Dedico Consecroque.

BREVEM vitæ cursum Principis nuper defuncti, breui placuit elegio decorare, measq; ac totius Sarmatiæ lachrymas, in tuū Illustr: D. amantis ac lugentis sinum effundere; qui vetus Regiæ domus cultor, Regij iuuenis inopinatum occasum, vt absq; lachrymis audire non potuisti, cū hæc infælicia noua tibi fuissent allata: ita æuiternam eius indolem haud sine singultibus & suspirijs commemorare vales: & vix sine lachrymis quisquam in tota Polonia eam recensere, aut poterit adornare. O spes nostras fallaces! O desideria vanissima! ille qui Asiam debellaturus esse videbatur, in ipso adolescentiæ flore occubuit: quem ad æternitatem omnibus votis promouebamus, leuiusculo morbo correptus ex oculis nostris euanuit; & conceptæ de se in mentibus hominum Magnitudinis, vmbram tantùm, ac veluti somnij reli-

*reliquit. Sed vt Callimachus ille, apud Pausaniam, non repræhenditur, quod Mineruæ lucernam anno integro ardentem obtulerit: sic me ego apud te Illustrissime D. omni repræhensione carere spero, quod extincti Principis famam, velut Pharum lucentem in omnes perpetuitates, tibi hac scriptione offeram; Tuaq́ maximè lugentis voce motus, Regias illius dotes, quibus admirationi fuit toti Sarmatico Orbi, imò toti Europæ, in solatium afflictæ patriæ, laudare contendam: idq́ paucis verbis & incompositis, vt meum quoq́ dolorem probem. Nam vt quidam dixit,* Dolor est fucatus, si disertus: fictus, si ex arte compositus. *Hæc verò Principis siue laus, siue æternitas, etiam Tua Illustriss: D. erit, qui Diui Parentis illius beneficio ac munificentia, per annos triginta fotus, adq́ tantas in Re publ. dignitates promotus, omnē Regiam eius sobolem cultu quo par est veneraris: ac præcipuè viuis exempti virtutes honoribus æstimas, & omnem optimi principis memoriam colis. Quapropter & hunc debilem ingenij mei foetum, in honorem eius factum, tuæ auctoritatis præsidio tuere & foue, quem ego tuæ voluntatis fiduciâ audeo facere publicæ lucis. Viue & Vale Illustr: D. & dignitate tuâ, qua ab Augustissimo Rege* VLADISLAO IV. *auctus es, feliciter fruere.*

LA-

# LACHRYMÆ
## In obitum
## SERENISSIMI
## ALEXANDRI CAZIMIRI,
## Poloniæ, & Sueciæ
## PRINCIPIS.

REDIMVS iterum ad luctum, Equites Nobilissimi, quẽ vix ab obitu Magni Regis nostri, SIGISMVNDI III. posuimus: ad lachrymas reuertimur, quas vix inauguratione primogeniti illius VLADISLAI IV. abstersimus: squallorem illum resumimus, in quo ante debellatos Moschos, & pacem cum Turcis factam, vniuersi fuimus: quamq; interregni tempore mœstitiam ex morte Principum nostrorum habuimus, eam denuò pati, infelicitate nostra considerata, cogimur.

 Inopi-

Inopinatus etenim Principis ALEXANDRI, quem aut nunquam nasci, aut nunquam mori oportuit, ac præmaturus obitus, interturbauit prosperitatis nostræ cursum, interrupit gaudia, & lætitiam publicam, luctu felicitatem fœdauit: iterumque nobis Sigismundum, cuius encomium mortales nullâ ingenij fælicitate queunt implere, in illo vis Fati acerbi extinxit, quem ad decus sæculi, & solatium nostrum, in quinque filijs viuentem reliquerat. Quanquam autem nihil hic orbis, quod perennet, possideat, & Principes qui ei præsunt, æqualiter nobiscum mortalitatis iurè teneantur, quo attamen cæteris vel assuetudine ipsâ, vel superum dono fiunt meliores, & commodiores Reipub. eo magis afficimur occasu ipsorum, magis perturbamur insperato illorũ obitu: Regijs enim eorum virtutibus, quibus Patriam & Familiam suam exornarunt, vt famæ, sic luctus æternitas à nobis debetur. Hinc moribus antiquis, optimoque veterum instituto obtinet, vt omnium illustrium virorum funera laudatione solenni cohonestentur: vt maximorum Regum fortia facta, resque præclarè gestæ, encomijs perpetuis celebrentur, vt filij eorum, agere memoratu digna volentes, etiam post funera, in pretio & memoria habeantur. Ipsa equidem naturali ratione suadente, eiusmodi Heroas, ex oculis nostris sublatos, non laudare, inhumanum: non deplorare cum præmaturè abeunt, inciuile: non dolere cum à nobis auelluntur, pænè nefas arbitramur. Ergo siue honori defunctorum eiusmo-

eiusmodi laudationes & lamentationes datæ sunt; quis esse potest Principe nostro dignior honore, quà à stirpe regia, dignior nænijs, quà à Regijs virtutibus? siue superstitum solatio sunt deputatæ; cuius mors tanto, non Regni Poloniæ tantùm, sed Europæ propè vniuersæ, luctu & dolore excepta vnquā est? siue ad exemplum sunt institutę: quod potest maius, aut illustrius exemplum, non iuuentuti modò Sarmaticæ, sed omnium Principum filijs, Principe ALEXANDRO proponi? Cuius ego Regiam indolem, ô Poloni mei, admiratus, præficâ pennâ producam in theatrum Orbis, vt omnino superesse videatur, qui extinctus est: Regiumque illius Genium veneratus, vt pietatem meam probem, infelici eloquio, quale obsitum singultibus pectus eliquare solet, vocabo ad lachrymas vniuersos, quoscunq; augustis æternisque Sceptris Reges Poloniæ regunt. Vos modò audite me.

Qui extinctum aliquem morte, lachrymis tenerrimis prosequuntur, Equites Nobilissimi, illi faciunt hoc, præcipuè hasce ob causas, vel quod ille nimium virtutibus conspicuus esset, cæterisq; exemplo prælucceret: vel quod Reipub. valdè cōmodaret: vel quod claris maioribus ortus, solus familiæ decus conseruare, aut ornare debuerit; vel quod demum his omnibus abundans, præmaturè raptus, ex oculis hominum euanuerit. Quæ enim plus bonitatis, pulchritudinis, ac perfectionis in se habent, illa magis desiderantur à nobis, plurisq; amissa æstimantur, quàm fuerint, & grauius do-

 lentur

lentur quàm quę communia sunt. Sed ô vanas cogitationes nostras, vana iudicia: & ieiuna desideria! qui longè excellentior fuerat, quàm eius virtutes æstimare, aut colere potuissemus, Princeps Serenissimus, ALEXANDER CAZIMIRVS, spes maxima Patriæ nostrę; & dotibus Regijs inclytus; & Christianę Reipub. aliquando commodus; & maximorum in Europa Principum prosapia & cōsanguinitate clarus: vel solus ornamento totius Septentrionis esse debuerat, inopinatò properauit à nobis, in quo Inuictissimus Rex noster VLADISLAVS IV. maximum domus suę Regiæ decus amisit, nos solatium, iuuentus nostra exemplum. Rectè Callimachus *ex Ioue Reges esse*, ait. Rectè Homerus, *Principes Deo genitos, vel à Deo nutritos*, dicit. Vt enim non nascuntur boni, nisi cum Supremum illud Numen voluerit, sic nec abeunt à nobis, nisi vocati ab eodem: omnesq; illi, quorum ore Fortuna pronunciat, quos beatos, quos felicitatis extorres velit, non commorantur diutius in terris, nisi quantum illis cōcessum est è cœlo. Appositè MAXIMILIANVS Imperator, à quo hîc noster Princeps maternum genus duxit, pro Symbolo Zodiacū gessit, cū inscriptione NONDVM IN AVGE, quod Princepes, veluti ille Solis circulus, agantur sursum & deorsum nutu solius Dei, & viuant hîc rebus prȩclarè gestis illustres, aut rapiantur, licet non impleuerint annos, nec attigerint scopum officij sui. Nō qui igitur in Regia domo nascuntur, populis regnant, sed qui destinati ab æterno! Principem enim

nim omnem ipſe conſtituit Deus, qui erga genus humanum vice ſua fungitur: Optimum, ſi nos boni: malum, ſi peſſimi: & vtrumq; diuturnum, pro ut iuſſis cæleſtibus obedimus, aut contradicimus impij. Cum autem nunc optimum Principem, ab inuida morte enecatum eſſe in adoleſcentia cernimus, circulo Zodiaci eleuatum ſurſum, putare debemus, quamuis non fuerit in auge; piaculiſq; noſtris adſcribere tantam patrię noſtræ iacturam, tantùm Principum noſtrorum dolorem. Interim verò naturam accuſabimus, quòd tantum Heroem produxerit mortalem, qui veluti Aſtianax auicula (quę ibidem, inquiunt naturales Philoſophi, moritur, vbi & oritur) meritò dicere de ſeipſo poſſet: VBI SVM, IBI NON SVM. In Polonia ſum natus, in illa amplius iam non ero. nuper ſicut flos pulcherrimus in hortis Septẽtrionalibus reſplendui, & ecce ſubito exarui: appoſitus fui manipulo domus meę Regię, & iã è medio Sereniſſimorum Fratrum meorum, velut ariſta granis plena à meſſore, extractus ſum à morte: adligatus eram faſciâ Auſtriacâ, totius Europę Principibus per conſanguinitatem, & iam ſolutus eſt nodus tam inclyti amoris: aptus natus fui coronis Scandinauiæ Magnę portandis, nunc me Suecia iam non videbit, Gottia non expoſcet, Vandalia æternùm obliuiſcetur: Orientem proſpiciebã, & vel ipſo nomine meo incitante Aſiã meditabar & Indos, & ecce meridiem vitę non attingens, iam occidi, & velut Imeronios, quæ vna tantùm die viuit, manè ortus, veſpere mortuus

ſum. Verum enim verò, Equites Nobiliſſimi, licet prædicta auicula, vnica tantùm die viuat, & non numeret annos, vt ciconia, vel ætates, vt coruus, nihilominus de illa Naturę ſcrutatores ſcribunt, quòd interim, dum illud breue ſpatium viuit, diuerſarum auium nidos peruolat, & quamcunq; inuenerit, & cantantem audiuerit, vocem illius repræſentat: ac proinde ſupra illam Hieroglificon inſcribunt. NON DIV, SED SATIS. Ita æuiternus Princeps noſter, quamuis vnicam tantum ætatem iuuenilem peregerit, vixq; ad adoleſcentiam peruenerit, multum attamen ſibi, eo tempore vitæ exiguo, Regijs virtutibus, famę & immortalitatis cōparauit, quibus in affectum & adſpectū ſui, dum aulas diuerſorum Principum inuiſeret, & æmularetur mores, rapuerat Orbem Chriſtianum! Licetq; purpuram non induerit, ſceptrum non attigerit, & diadema non habuerit, ipſa attamen indole regia ſufficienter demonſtrauit; qualis quātuſque futurus aliquando eſſet, ſi imperij habenas expectaſſet, bellisue præeſſet. Vnde meritò ſibi Emblema illud vſurpare poteſt. *Non diu, ſed ſatis.* quia non erat Neſtor, ſed Alexander; & quidem diligentiſſimus Magni illius Macedonis mirator, qui dicebat, *vixi ſatis*, quamuis præmaturè moreretur, *quia non numero annos, ſed triumphos: metior me non ætate, ſed perennitate.* Quapropter non abs re illi Philippus pater olim dixerat. *Aliud tibi fili quære Regnum, Macedonia te non capit.* Sed & noſter iam Inuictiſſimus REX, pacem cum Ottomanis tra-

ctans,

ctans, rectè dicere poterat, cum eum Leopoli iuuentutem Polonicam ludo militari exercentem videret, *frater, Alexander es, Asiam tibi quære, Sarmatia te non capit.* Excitabant siquidem eum assiduè ad gloriam Diui Parentis toto orbe celeberrimæ victoriç, recentesque Inuictissimi Regis VLADISLAI de Moschis triumphi, velut olim trophæa Miltiadis, celeberrimū illum apud Græcos scriptores Ducem Themistoclem. Et Romani sanè iuuentutem suam exercebant in campo Martio, vbi statuæ magnorum Virorum fuerant locatç, & res gestæ sculptç, vt incitarentur maiorum suorum exemplis. Princeps verò noster, non Historicorum adornatis narrationibus, non picturis veteribus aut sculpturis, Heroum vultus, resué gestas exprimentibus, cōmouebatur ad famam: sed præsentibus victorijs Polonorum, sed viuis exemplis cognatorum Principū, sed rebus gestis domesticis. Mirabatur nouus Agamemnon senem Menelaum, Diuum Genitorē suum, nouus Ascanius senem Æneam, natu maiorem fratrem; ita, vt si diutius eum superi viuere voluissent, non tam applaudentium votis, quam confessione veteranorum, superiorum temporum priscis Heroibus compararetur. Sed Fata eum fructum nobis inuiderunt, & natum annos XXI. cum maximo damno & dolore nostro, humanis exemerunt, & ex his turbinibus in sedes meliores transtulerunt. Mors crudelis in officio suo peragendo valdè dissimilis exstitit Pomicarpio Atheniensium. Illi siquidem priscis ætatibus dum florerent, cum

omnium florum colligendorum ſtata tempora fructumué haberent, tum ſpeciale quoddam feſtum, Pomilegium vocatum, autumno adulto celebrabant, quo tempore poma ex arboribus colligebant, comedebant. At illa præceps, non expectato autumno, aut canitie capillorum, Pomicarpium facit, quouis tempore, quauis ætate: infantes, adultos: iuuenes, ſenes: viros, decrepitos; carpit, rapit, præcidit. Hæc optimum Principem noſtrum nondum adultum ætate, nondum grauem annis, nondum maturum rebus geſtis, aut illuſtrem victorijs, veluti ſubrubens pomum cruda manu decerpſit. Cuius dum exuuias, Equites, aſpicitis, noui temporis, nouum pomum vobis productum videtis. Pomum inquam, quod iam non in arbore Iagellonica vireſcit, ſed in vrna ferali repoſitum putreſcit: quod non in manu Iunonis (effloreſcentis glorię) conſpicitur, ſed quod iam frigido marmore contegitur: quod vltimo quidem autumno, quoad anni curſum, decerptū eſt, ſed primo vere quoad ætatis florem. Quapropter exclamare in eam meritò poſſumus, prout exclamauerat ille Athis, Crœſi Lidię Regis filius natura mutus, in militem, dum patrem eius interficere vellet. *Hem miles quid agis, Rex eſt quem feris?* Sic & nos. *Hem mors quid agis, Alexander eſt quem feris:* Sed fruſtra. iam percuſſit, iam occidit Principem inclytum. Itaq; tu VLADISLAE Rex Inuictiſſime, perdidiſti animę tuę dimidium, vitæ ſubſidium, annorum oblectamentum, laborum ad-

rum adiumentum, fortunæ vtriusq; solatium, & florem domus Tuæ Regiæ pulcherrimum. Sed vt Dario Persarum olim Regi, Democritus Philosophus suscitaturum se Vxorem (cuius ille obitum intemperāter deplorabat) promiserat, si sibi tres suo in regno homines monstrasset, qui nusquam cōsanguineos suos deplorassent, cumque repperiri tales non possent, *vides*, (inquit,) *ô Rex, quam ineuitabilis sit omnibus Fati necessitas: nefas est deflere, quod nefas est deuitare:* Sic & tu REX Inuictissime, legem mortalitatis omnibus æquè impositam cernens, desine lugere ac lamentari obitum Fratris Tui, quē ille Fatorū decretis nullatenus poterat euitare. Lachrymas itaque Tuas Regias moderetur ipsa animi Tui generositas, quâ iam pridē variam naturæ mobilitatem præuidisti, casus insperatos contempsisti, insultus aduersæ fortunæ grauissimos risisti. Nos autem gratulari huic nostro æuo possumus, felicesque nos prædicare, quòd in maximo Orbis Arctoi Solio, ijsdem virtutibus sedentem te Vladislaum filium videamus, quibus & Patrem Sigismundum vidimus, quamuis parem stirpi suæ ALEXANDRVM amiserimus? Cuius Heroicos spiritus, animumq; tanto Principe dignum, nullius facundia dignè exprimere valet. Pierius refert Equites Nobilissimi in Capitolio Romano fuisse statuam Herculis pelle leonina tectam, quæ altera manu clauam, altera tria ænea poma tenebat; quorum vnum quodque litteram. S. inscriptam gerebat: in Principe, qualis fuerat Hercules, denotans necessariò debere esse

re esse, Sagacitatem, Sapientiam,& strenuitatem: sicut & in pomis, quę comestibilia sunt, requiri ad commendationem, vt sint Speciosa, Sapida, & Sana. Totum id Principi nostro adludebat, inq; iuuenili eius ætate perfectiùs fortasse quàm quis maturo in viro ex optasset, elucebat. Nam & proceritate Regia formosus fuerat: & Sapientiâ Heroum præditus: & Suada dulci omnibus iucundus. Quibus sanè dotibus regijs, natura eum prę alijs ornatum habere voluerat, eximijsq; tum corporis, tum animi facultatibus donauerat: ingenio acutissimo, celerrimo, ac capacissimo: memoriâ tenacissimâ: nobilissimarumque artium cognitione excellentissimâ: laboris tolerantiâ, viriũ robore: militariumq; rerum peritiâ supra ætatem, ne dicam sortem humanam! Eam autem virtutum varietatem, ornabat, innata huic Regiæ Domui comitas, cum liberalitate & beneficentia coniuncta, tum affabilitas suauis, seu de rebus serijs diceret, seu familiares sermones haberet. Sed quid ego ago? quid lumen Soli infero? notissima hæc vobis, Equites Nobilissimi, qui regiam adeuntes suauissimis eius congressibus & sermonibus fruebamini, qui nihil in eo acerbi, aut tetri, vidistis, sed apertissimam amœnitatem, & candorem quendam niueum persensistis. Præsertim cum è peregrinatione ad vos reuerteretur, & diuersis virtutibus, èx conuersatione Principum, quos per viã adiuerat & salutauerat, animum ad omnia capacem & fælicem, imbuisset: lustrassetq; Italiam humanita-

manitatis ac totius Vrbanitatis officinam, adijsset. Romam augustissimum olim Imperij nunc Religionis Sanctissimæ domicilium: olim virtutum moralium, nunc Christianarum Pandectas: Tum, Venetias quoque, Idæam Rerumpublicarum, epitomen nationum. Vnde rediens, diligentius ea, quę Principe sunt digna, cogitare cœperat, prudentiùs agere, serióq; ea meditari, quæ non tantùm illi, sed & nobis tempus in omne prodessent. Quod si verò Heroum vitam & fortunam considerare velimus, videbimus nihil esse omnino, quod Principem iuuenem cuilibet magis gratum acceptumq́, reddat, quam militaris & Martia virtus: cui si vires adhuc, personę dignitas, & in exercitijs assiduitas comites accesserint, tum quasi è cœlo demissum omnes boni, impensissimis studijs colimus, & veneramur: obque tantarum virtutum consociationem, eximiam spem concipimus, illum patriæ præsidium & ornamentum, hostibus verò excidium allaturum. Illa enim generositas regia, amorē militum imprimis conciliat, atq; auctoritatem: robur virium, admirationem in plebe parit: proceritas verò corporis cum venustate mascula coniuncta, dignum efficit imperio. Trias ista, si quem mortalium vnquam, Equites Nobilissimi, Principem certè ALEXANDRVM beauerat; vtpote quem generosus Martis spiritus nascentem afflauerit, assiduum in rebus militaribus exercitiū, vires innatas mirè roborauerit, regiam corporis proceritatem, supra reliquos Principes natura dederit,

derit, vt in eius amorem omnes ciues, omnes populorum Christianorum Principes conspirarint. Sed ô dolor, non pepercit tantis bonis crudelis mors, ne eum nobis inopinatò raperet, quæ cuncta præsertim celeri virtutis maturitate consumma ta rapit violenter. Quicquid enim ad summum peruenit, ad exitum properat: virtus autem perfecta eripit se potius, & aufert ex oculis hominum, quàm extinguitur. Vltimum tempus non expectant, quæ in primo maturuerunt. Hinc multos videas iuuenum, super senes intendere moribus, antiquorum tempora meritis preuenire, & quod ætati deest virtutibus compensare. Quod & in Principe nostro facilè obseruare fuit, quem nunquam ocio deditum, nunquam quicquam indecorè agentem vidimus, sed vel mœchanicis, quę ad militiam spectant artibus, sese domi exercentē, vel venatione, quæ etiam pars militiæ est, in campis atq; syluis occupantem, vel quæ ad regimen Reipub. spectant, diligenter legentem, vel deniq; peditatum suum equitatumuè, in pugnæ speciem instruentem & committentem: velutique alterum Pausaniam armis diuersis in ludo & arena militari vtentem: arcu, sagittis, pharetra, acinace, sclopo, bombardaque maiore. Quemadmodum itaque Carolus Medices egregio cuidam aulico suo appositè eiusmodi Epitaphium scripserat. *Pomum immaturum mundo, maturum cælo*: Ita nos de Principe nostro meritò dicere possumus, immaturum cum obisse ætate, at maturrimum ijs fuisse virtuti-

bus

bus, quibus ſibi immortalitatem comparauit. Ergo alijs magni & amicti cedant tituli, quibus iners, nec pro famâ mens eſt, ALEXANDER noſter, ſine titulis Regnorum magnus, ſine victorijs & triumphis immortalis eſt, prȩſertim cũ ſit pius. Qui certus ex doctrina Chriſtiana, mortem ſibi non finem, ſed tranſitum eſſe ad gloriam cæleſtem, cum ſibi horam inſtare videret extremam, vocatis de more ſacrorum Myſtis, Diuinis ſe Sacramentis prȩparauit ad vltimum illum & magnum diem: & ſepoſita ſpe ac cupiditate vitæ, abſque vllâ perturbatione animi, acceſſum eius excepit. Iam autem *maximum argumentum eſt*, inquit Seneca, *animi ab altiore venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia iudicat & anguſta, ſi exire non metuit.* Exiuit itaque die XIX. Nouemb. ſine omni trepidatione, & expuncta hac morte, ad immortalitatem peruenit, vbi Diuo Patri ſuo Sigiſmundo, virtutibus victorijſque æterno aſſociatus, fruitur inter beatos felicitate illâ, quam ſibi viuens hîc meruit. Nos ſertis monumentum eius coronemus, ſepoſitiſq; lachrymis flores ſpargamus, vt inter odorum ſuauitates frigida illa Principis oſſa æternum cubare poſſint: Et ſi quid tantis eius dotibus reponere, & in omnem æternitatem duraturis virtutibus rependere velimus, ſempiternȩ fælicitatis quietem, gaudium, ſalutem, totis votis, intimiſque animi deſiderijs apprecemur.

DIXI.

# EPITAPHIVM.

## HOSPES

NE MIRERE HANC MOLIS SVBSTRVCTIONEM,
MAVSOLÆVM IAGELLONICVM EST.
IN QVO DIVVM ILLVD GENVS,
SARMATICI IMPERII HABENAS
TERTIVM IAM SÆCVLVM GVBERNANS
QVIESCIT.
HVC QVOQVE, PROCH DOLOR! NVPER ILLATVS EST
(Anno. 1634. die 19. Nouemb.)
FLORIDISSIMVS SVÆ STIRPIS RAMVS,
GENTISQ; NOSTRÆ DECVS, SPES, ATQ. ORNAMENTŨ SINGVLARE
ALEXANDER
POLONIÆ, & SVECIÆ PRINCEPS.
MAGNI REGIS SIGISMVNDI III. F.
MAGNI VLADISLAI IV. NATV MINIMVS FR.
MARTII SPIRITVS IVVENIS.
ET NÌ FATA INVIDISSENT,
NON ASIAM MODÒ, VT ILLE MACEDO, REGERE NATVS
SED QVIDQVID IN ORBE NATVM.

Aliud

# ALIVD.

## VIATOR

Ne transeas rogo Sarcophagvm
Insalvtatis Manibvs Optimi Principis.
Iacet enim hîc
Grandis Aqvilæ Septentrionalis pvllvs,
Sigismvndi III. minimvs natv F.
ALEXANDER
Poloniæ & Sveciæ Princeps.
In qvo,
Canescentibvs Natvræ annis
Tantvm Virtvtis decvs affvlsit,
Vt sine titvlis Regnorvm Magnvs appellari dignvs sit.
Is dvm Asiam meditatvr, & nobile Martis iter
ingredi parat,
O dvram pæcipitis Fati necessitatem!
In ipso ætatis flore rapitvr.
Et omnivm nostrvm votis frvstratis
A d originem svi revertitvr
Abiecta mortalitatis sarcina
Anno 1634. die 19. Nouemb.

S.S.P.

# IN LACHRYMAS

## NOBILIS AC GENEROSI D. SIMONIS STAROVOLSCI.

*M. IOANNIS CYNERSKI RACHtamouij, Coll: Min: Ord: Eloquent: Profess.*

# ELEGIA.

Et meritò flemus, meritò crudelia fraudis
Damnamus miseri, Fata, trucesque Deas
*Docte STAROVolsci, dum magni Principis umbram
Prosequeris lachrymis commemorabilibus,
Doctè Starouolsci, quid enim nisi flebile restat
Iratæ tantis mortis in insidiis?
Quid nisi flere iuuat? longos promamus ab imo
Pectore singultus: quid nisi flere iuuat?
Tristibus heu numeris ambo iungamus edaces
Luctus, & stupidâ murmur inane lyrâ.
Accentus duros, & lamentabile carmen
Demus, et ambiguis, verba vlulata, sonis.
Occidit ille cúi tam blandùm risit Apollo,
Quem fouit facili culta Minerua sinu:
Occidit ante diem, florenti in flore iuuentæ
Flos Iuuenum præstans, Lechiadumq; decus.
Occidit ante diem, pulcherrima gloria Martis,
Bellonæq; ingens gloria Sarmaticæ.
Noster ALEXANDER Princeps non integer æui,
Integer at meritis, occidit ante diem.*

Et me-

Et meritò flemus, meritò crudelia fraudis
    Damnamus miseri, Fata, trucesque Deas.
*Si quis dignus erat Tithonis viuere secla*
    *Ille erat: ah fati vis truculenta nimis!*
*A teneris magnas ad prælia magna parabat*
    *Artes, quas vsu torserat eximio.*
*Corporis & vires validum formabat ad vsum,*
    *Præsto vt sint celeris mentis ad obsequium:*
*Et nunc algorem, nunc & perferre calorem*
    *Sint dociles, labor et quicquid honestus amat.*
*Illi ludus erat rigidam triuisse palæstram,*
    *Et noctem insomnes mittere in excubias.*
*Ludus erat pernicis equi conuoluere gyros,*
    *Ludus erat cursum frangere præcipitem:*
*Ludus erat superare niues, & frigora, anhelo*
    *Pectore: non requiem turbida habebat hyems.*
*Ludus erat ceruos venari, Vrsosque feroces,*
    *Quæ pars militiæ non minor esse solet.*
*Ludus erat geminato tendere spicula cornu,*
    *Ludus erat, facere & fortia quæq; pati.*
*Ludus erat iustas gemino in certamine pugnas*
    *Fingere, magnanimos sicque notare viros:*
*Et laudare pares factis, accendere victos,*
    *His animos, illis præmia certa dare.*
Et meritò flemus, meritò crudelia fraudis
    Damnamus miseri, Fata, trucesque Deas.
*Ille sciebat enim studijs prius agmina duris*
    *Exercere domi, quàm fera bella fremant:*
*Castra loco, vt tempestiuè ponenda salubri,*
    *Quæ caput ad primum fluminis vnda premat.*
*Quæ campis acies, fraudi quæ accomoda vallis,*
    *Quæ via difficilis, quo & superanda modo,*

    *Vt præ-*

*Ut præbenda vigil tuto custodia vallo,*
*Ne secura quies damna pudenda ferat.*
*Sitque vbi densari cuneos, vbi cornua tendi*
*Æquiùs, & celeri frangier arte Gethas.*
*Seu sit opus pansas Aquilam pro tendere in alas,*
*Seu sit opus Lunam cornua acuta dare:*
*Seu sit opus quadratum acies vt currat in agmen,*
*Sed sit opus pressam cingat vt orbe viam.*
*Hostes quæ mora perfringat, quid rebus in arctis*
*Dux gerat, hoc Princeps omne tenebat opus.*
*Ah quem nulla vnquam docuit Fortuna timere*
*Sarmatiæ medio concidit in gremio,*
*Concidit in gremio Patriæ, aspectuque Senatus*
*Inq; oculis Fratrum concidit exanimis.*
Et meritò flemus, meritò crudelia, fraudis
Damnamus miseri, Fata, trucesque Deas.
*Heu cuî non iusto tabescant lumina fletu*
*Quis salsis oculos temperet à lachrymis?*
*Qui vitam illius meminit, sensusq; Viriles,*
*Promptaque solertis munera iudicij;*
*Quæque senum decorare solet prudentia mentes,*
*Illius tenero fulsit in ingenio.*
*Ardua virtutis coluit sic symbola castæ,*
*Nollet vt ignauas carpere delitias,*
*Inque voluptatum misero se mergere cæno,*
*Quà rapidus vortex pectora lenta vorat;*
*Et Cytherea suos quæ passim fulminat ignes,*
*Hic ignes doluit non habuisse locum.*
*Ocia magnorum hinc irritamenta malorum,*
*Consilijs prudens tempserat ingenuis.*
*Dicite vos valles quibus Vrbs Varsauia gaudet*
*Et nemora, & Syluæ, & Vandale turgide, aquis,*

*Regia*

*Regia dic ſedes, ſemper domus inclyta Regum,*
*Vnde coronati Sceptra gerunt Domini,*
*An torpens vnquam dulci requieuit in vmbra*
*Curarum vacuus, militiãq; liber?*
*Hei mihi quem nullus vitij peſſundedit error*
*Vile genus mortis reddidit exanimem.*
Et meritò flemus, meritò crudelia, fraudis
Damnamus miſeri, Fata, truceſq; Deas.
*Nondum vdo mæſti lachrymas abſterſimus ore*
*Funera funeribus dum geminata iacent,*
*Funera quæ ad luctum tygres cautesque mouerent,*
*Cautibus & ſi quid durius eſſe poteſt!*
*Funera vix Regis defleuimus aſpera magni*
*Funera queis Regum eſt deſpoliata Domus,*
*Fortis Alexander Princeps cadit, heu cadit ingens*
*Prò dolor! heu Martis ſpiritus ille cadit!*
*Ah properata nimis crudelis funera fati*
*Staminaque ah luctu non reparanda pio.*
*Ipſa etiam viduis plangens ſub montibus Echo*
*Confuſo gemitu iactat ad aſtra ſonos.*
*Flos iuuenum quæ te noſtri feralibus æui*
*Inſenſum vitiis ocior aura rapit?*
*Non expectata hinc hyemis ſtatione recedis*
*Vere nouo vitæ prætereunte tuæ?*
*Hoc pietas hoc ſancta Fides, puræq; meretur,*
*Mentis amor, fato vt ſic properante cadas?*
*An quod ſis cœlo à nobis illatus aperto?*
*Plenior vt ſuperum ſit ſpatioſa domus?*
*Deſpicis an longè terrarum maxima regna?*
*Quæ meruiſſe magis quam tenuiſſe iuuat:*
*Nec minus & dulces gaudes ſpectare parentes*
*Illis & puro lumine corradias*

*An quia*

*An quia cognatum repetit sua pignora cœlum*
*Spiritus vt redeat lucidus vnde venit*
*Quicquid id est patriis Te protinus eripis oris,*
*Et moriens tecum gaudia mille rapis*
*Hæc Echo: tepidis responsant fletibus amnes*
*Quos non exiguos terra Polona bibit:*
*Quin etiam lachrymis nimium exitialibus auctus*
*Rex fluuiorum iam Vandalus intumuit!*
*Tangit amor, tangit pietas elementa! quis ergo*
*Non ploret lachrymis consociabilibus?*
Et meritò flemus, meritò crudelia fraudis
Damnamus miseri, Fata trucesque Deas.
*Docte STARouolsci dum magni Principis vmbram,*
*Persequeris lachrymis commemorabilibus.*